

anno domini M^o. CCC^o. LVII^o. feria tertia infra octavas beatorum Petri et Pauli apostolorum, praesentibus strennuis nostris dilectis Johanne de Milticz milite seniore, Elkinberto de Bôr milite, Hugone de Tubinheym, Jenchino et Erinfrido fratribus de Slynicz, Johanne dicto Heynrichow nostro avvocato, Petro de Vbigow, Henrico Karas nostris notariis nec non discretis viris dominis Martino de Turgow, Theoderico de Goch, perpetuis et Hermanno de Esschenwege temporali vicariis ecclesiae Misnensis praedictae testibus ad praemissa.

Nach zwei bis auf wenige Buchstaben gleichlautenden Originalen im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln der Burggrafen (Schild mit dem Andreaskreuz) an Pergamentstreifen.

No. 496. 1357. 9. Sept.

B. Johann verordnet mit Zustimmung des Capitels, dass dem Pfarrer Heinrich Bulingi zu Kötzschenbroda die Armutshalber gebetene Entlassung gewährt, der archidiaconus Nisicensis aber gehalten sein solle, ihm jährlich 8 Schock Groschen zu seinem Lebensunterhalt pünctlich zu zahlen. Vgl. Bd. I. No. 480.

Nos Johannes dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis notum facimus universis praesentes litteras inspecturis, quod cum dudum ecclesiam parrochiam in villa Köschebröde nostrae dioecesis de expresso et unanimi consensu capituli nostri annectissemus, unissemus et incorporassemus cum omnibus redditibus, fructibus et utilitatibus suis archidiaconatui Nisicensi, qui est dignitas in dicta nostra Misnensi ecclesia, ex certis et legitimis causis, ita quod archidiaconus Nisicensis, qui pro tempore fuerit, perpetuum vicarium in eadem ecclesia instituere teneatur, cui de redditibus eiusdem talem ac tantam portionem debet assignare, quod idem vicarius commodam sustentationem habere ac iura episcopalia et archidiaconalia persolvere et alia incumbentia onera valeat commode supportare. Nam omnia iura episcopalia, quae nos et nostri praedecessores in eadem ecclesia habuimus et habuerunt, nobis et nostris successoribus in ipsa totaliter reservavimus, prout in litteris incorporationis desuper confectis expresse continetur¹⁾ ac dominus Henricus Bulyngi²⁾ rector praefatae ecclesiae in Köschebröde³⁾ pauper existat, ita quod praetextu paupertatis aedificia ruunt et ruinam minantur, decimae et oblationes pereunt, agri et vineae manent inculti et incultae, et propter eandem paupertatem ac alios defectus idem dominus Henricus eidem ecclesiae utiliter praesesse non possit, volens eandem ecclesiam ad manus domini Henrici de Slynicz, nunc archidiaconi Nisicensis, libere resignare. Ne tamen, cum alias non habeat, unde sustentetur, in cleri opprobrium cogatur mendicare, nobis supplicavit de opportuno remedio sibi provideri. Nos igitur praemissa attendentes de expresso et unanimi consensu capituli nostri praefati, ex officio nostro statuimus, praecipimus, volumus et tenore praesentium ordinamus, quod ipse dominus Henricus de Slynicz et omnes ac singuli⁴⁾ archidiaconi Nisicenses, qui pro tempore fuerint dare et solvere debeat et debeant dicto domino Henrico Bulingi vel suo procuratori ad hoc legitime constituto, singulis annis de redditibus et fructibus ipsius archidiaconatus

1) Die Worte: ita quod archidiaconus Nisicensis bis mit expresse continetur fehlen in B. 2) Bulyngi B. 3) Koschebrode B.

4) et singuli B.